



**R**hodolphus ex nobili familia de Scherēberg  
 oriundus, sui generis ultimus extitit. erat is e-  
 ruditione & omnis generis uirtutibus clarissimus  
 heros. Itaq; post mortem Iohannis Episcopi Her-  
 bipolensis ipse anno millesimo quadringētesimo  
 sexagesimo sexto in eius locum electus fuit. Erat  
 autem ea Ecclesia ob antecessorum quorundam i-  
 gnauiam & superbiam mirum in modum turbata,  
 atq; adeò æri alieno obnoxia, ut uix quis putaret,  
 eam unquam soluendo esse posse. Itaq; quam pri-  
 mum Rodolphus eam functionem suscepisset, sta-  
 tim ecclesias suę ditionis omnes reformare cœpit,  
 atq; summa diligētia ordinauit, ut ritè omnibus in

locis res administrarentur. sacerdotes etiam ad uirtutes adhortatus est, atque  
 legum transgressores graui multa affectit. Postea uerò plurimos otio & igna-  
 uie deditos a sua aula remouit, atq; multò frugaliorem uitam, quàm alij hactē-  
 nus fecerant, agere instituit. Suo etiam exemplo ad uirtutes alijs uiam osten-  
 dit. Hinc factum ut paulatim æs alienum soluerit, oppida & arces oppignora-  
 tas redemerit, atq; quasi nouus fundator eius Ecclesiæ fuerit.